

# FRANCISCUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI ad perpetuam rei memoriam

Omni cum diligentia et cura Nostrum officium, quantum situm est in Nobis, explicare properamus, ut Domini salutaria beneficia et praecepta omnia loca contingant cunctosque efficaciter populos. Ideo Nos res disponere festinamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. Quocirca cum Venerabilis Sater Petrus Delbosco, Ecclesiarum Cuneensis et Fossanensis in persona Episcopi unitarum Antistes, postulaverit ut duae hae dictiones plenius coniungerentur ad unam formandam Ecclesiam, quo efficacius pastorale opus absolveretur, favente quoque Venerabili Sate Felicio Paulo Tschertziq, Archiepiscopo titulo Volitano et in Italia Apostolico Nuntio, suffragantibus iis quorum interest, de Dicasterio pro Episcopis consilio, Apostolica Nostra potestate usi statuimus et decernimus ut Cuneensis et Fossanensis dioeceses in unam Ecclesiam coalescant et constituentur diocesim quae **Cuneensis-Fossanensis** nuncupetur. Novae dioecesis sedem in urbe Cuneensi locamus, templumque ibidem cathedrale, Deo in honorem Sanctae Mariae vulgo "del Bosco" et Sancti Michaelis Archangeli dicatum, eundem titulum condicionemque servabit. Novam constitutam Ecclesiam Metropolitanam Sedis Taurinensis suffraganeam facimus. Sacra aedes Fossanensis, Deo in honorem Sanctae Mariae et Sancti Juvenalis dicata, hactenus ecclesia cathedralis, titulum concathedralis sumit, in memoriam inclitae et veteris traditionis. Unum habeatur Capitulum Cathedrale, quod quidem erit Capitulum ecclesiae cathedralis Sedis Episcopalis. Capitulum autem ecclesiae cathedralis Fossanensis nomen sumit Capituli Concathedralis. Pariter una sit Curia Episcopalis itemque unum Seminarium, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale, instituta apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, ad iuris canonici normam. Instituta dioecesana pro Cleri sustentatione in unum coalescant. Nomen novae dioecesis Cuneensis-Fossanensis succedat illi singularum dioecesium Cuneensis et Fossanensis apud Tribunalia Ecclesiastica. Nova circumscriptio comprehendit territoria, parochias ac bona quae ad utramque dioecesim antehac pertinuerunt ad normam can. 121 Codicis Iuris Canonici. Simul atque novae dioecesis constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso sacerdotes et diaconi Ecclesiae illi censeantur incardinati qui ad pristinas dioeceses pertinuerunt. Patrona principalis novae dioecesis eligitur Beata Maria Virgo Mater Divinae Providentiae; patroni secundarii autem eliguntur Sanctus Michael Archangelus, Sanctus Dalmatius martyr et Sanctus Juvenalis episcopus. Ad haec perficienda deputamus memoratum Exc. mum Apostolicum Nuntium vel, eo a Sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Italiam gestorem, necessarias et opportunas eisdem tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad idem Dicasterium pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi. Memoratae insuper novae dioecesis Cuneensis-Fossanensis Episcopum eligimus ac constituimus Venerabilem Fratrem Petrum Delbosco, hactenus Episcopum Cuneensem et Fossanensem, debitis datis ei iuribus congruisque impositis obligationibus. Speramus omnino has Nostras Decisiones iuvare posse spiritalem progressum fidelium qui ad novam ecclesiam communitatem pertinent. Hanc, denique, Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. Datum Romae, Laterani, die primo mensis Junii, anno Domini bismillesimo vicesimo tertio, Pontificatus Nostri undecimo.

Petrus Carol. Parodi  
Secretarius Status

Robertus Carol Prevost  
Praefectus  
Franc. Leo Sile. Sate. Archi-  
Rocco Fungari, P. S. Archi.